

§.1. In genere prognosticandum, anginam esse affectum maximè periculofum & exitiofum, cum fit ex numero acutiffimorum, & locus patiatur respirationi & deglutitioni inferviens, quibus læfis, de vitâ sanè ægri periclitantur.

§.2. Ut specialius prædictiones examinemus, necessum est: ubi primùm se exhibet PROGNOSIS DIFFERENTIALIUM, quæ variat, cum alia majus, alia minus secumferat periculum. Omnium pessima est Cynanche, de quâ ita vaticinatur divinus Senex. Angina horrendissima sunt, & citiffimè occidunt, quæ neque in faucibus quicquam conspicuum faciunt, neque in cervice: verum plurimum dolorem exhibent, & erectâ cervice spirationem inducunt. Hæc enim eodem die suffocat.

§.3. Paracynanche minus minatur periculum, quia in hac musculi externi sunt affecti, protrahiturque diutius. Hippocrates (i) de hæc ita. Quæcunque dolorem alioquin alteri similem inferunt, in faucibus verò tumorem & ruborem excitant, valde quidem lethales sunt, præcedentibus (nempe cynanchis) diuturniores, si magnus rubor adsit. Hæc si non in principio ritè à Medico tractetur, tandem in pessimam illam, Cynanchen puta, degenerat. Exemplum hujus transitûs extat apud Hippocratem (1) in uxore Bitonis, quæ initio paracynanche detenta, postea cynanchica obiit.

§.4. Synanche, in quâ magis deglutitio, quàm respiratio læditur, per se non lethalis.

§.5. Omnium tutissima est parasynanche, attestante Coo (m) ὑπὸ κυνάγχης οἴδυμα γνέσθαι ἐν τῷ τραχήλῳ, ἀγαθόν· ἔξω γὰρ τρέπεται τὸ νόσημα. Anginâ correpto si tumor oriatur in collo, bonum: foràs enim morbus vertitur: & porrò (n) ὑπὸ κυνάγχης ἐχομένῳ οἴδημα καὶ ἐρύθημα ἐν τῷ στήθι σπιγρόμυρον, ἀγαθόν· ἔξω γὰρ τρέπεται τὸ νόσημα. Ab anginâ detento tumor & rubor in pectore superveniens bonum, foràs enim morbus vergit.

§.6. De anginâ, quæ contingit ex luxatione ita concludit Idem Senex (o) ἢν ὑπὸ πυρετῆ ἐχομένῳ ὁ τράχηλος ἐξαίφνης σπιγροφῆ, καὶ μόγις καταπίνειν δύνηται, οἴδημα τὸς μὴ εὐόντος, θανάσιμον. Si febre detento repente collum intorqueatur, ac vix deglutire

(i) 3. progn.
19.

(1) 3. Epid.
sect. 2. t. 7.

(m) 6. aph.
37.

(n) f. 7.
aph. 49.

(o) f. 4.
aph. 35.